





C. 22. num. 41.

1776, 40. a

4

14,
DE IVRISIVRANDI
SPONSALIBVS ADIECTI
EFFICACIA

P. 386

DISSERTATIO INAUGVRALIS

QVAM

CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM COLLEGII

PRO

SVMMS IN IVRIS SCIENTIA HONORIBVS
IMPETRANDIS

FRID. CALEND. MART. A. R. S. CIOIDCCLXXVI


DEFENDET

IACOBVS FRIDERICVS KEESIVS

ART. MAG. ET ADVOC. IMMATR.

LIPSI AE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



DE IURISVRANDI
SPONSALIBVS ADIECTI
EFFIGIA

DISSERTATIO IN ACADEMIA

CONSENSU RECTORIS ET SENATUS ACADEMICI

SVMMIS IN IURISCIENIA HONORIBVS
I. PETRAN DIS

FRANCOFURTI AD M. MOENII

JACOBVS FRIDERICVS KRIVVS

ART. MAG. ET P. B. A. M. S. S. S.

1774

IN ACADEMIA




CONSPECTVS DISSERTATIONIS

Prooemium.

- §. 1. *Iurisiurandi natura et potestas in negotiis hominum firmandis.*
- §. 2. *Quam vim secundum iuris naturalis praecepta habeat iurandum promissis illicitis et inualidis adiectum.*
- §. 3. *Eiusdem vis, si promissis validis accedat.*
- §. 4. *Quam vim generatim iurando promissorio tribuat ius canonicum.*
- §. 5. *Idem ius quid statuat de iureiurando promissis illicitis aut infirmis accedente.*
- §. 6. *De promissis licitis atque validis iureiurando firmatis.*
- §. 7. *Transitus ad sponsalia. De iureiurando adiecto sponsalibus ab initio propter defectum necessariorum nullis.*

- §. 8. Quid obtineat in iureiurando sponsalibus adiecto, si ob formam neglectam inualida sint.
- §. 9. De sponsalibus ob causam superuenientem irritis et iureiurando eis adiecto.
- §. 10. Rescindi an possint sponsalia iurata.
- §. 11. An et quando iurandi vinculum relaxari possit per dispensationem.
- §. 12. Iusiurandum ad obligationem sponsaliorum parum aut nihil conferre ostenditur.



PRO.



PROOEMIUM.

Lycurgus, Spartanorum legislator ad omnem memoriam clarissimus, relicturus eorum rempublicam, ante discessum totam ciuium vniuersitatem narratur iureiurando adstrinxisse, quo fidem darent, nullam earum legum, quas tulisset, abrogatum iri, donec in ciuitatem esset ipse rediturus. Praestito sacramento, in Cretam insulam migrasse perhibetur, ibique cum in solitudine vitam egisset, antequam moreretur, iussisse funus suum comburi, cineresque in mare proiici, eo consilio, ne quid sui vumquam ad Lacedaemonios reuerti diceretur, vtque ab his perpetuo iurisiurandi tam salutarem religionem seruari oporteret. Eam rem nobis legentibus nihil magis optabile videbatur, quam haec duo: primum, vt numquam iusiurandum, nisi vtilitatis causa, vt il-

Iud Lacedaemoniorum, exigeretur: deinde, vt, quoties eo opus esset, aequae sanctae, vt apud illos, seruaretur fides eius. Quorum vtrumque nostris temporibus haud raro desiderari constat. Atque huius cogitationis nuper aliquoties nobis in mentem venit, argumentum de iurisiurandi sponfalibus adiecti efficacia, per occasionem summorum in iure honorum adificandorum, prolaturis. In quo exponendo ita verlabimur, vt prima parte in vniuersum iurisiurandi pactis adiecti naturam ac potestatem dispiciamus, altera, iactis quasi fundamentis, quibus cetera innitantur, nominatim de sponfalibus iuratis eorumque indole ac potestate differamus.

§. I.

Ac primum quidem, cum nemo sibi suisque necessitatibus sine alterius auxilio sufficere, nedum vitam omni affluentiae genere beatam sua solius ope degere queat; facile intelligitur ratio, qua ducti homines, vt ab aliis certa sibi officia praestarentur, omnem curam adhibuere. Quamquam vero, si cum generis humani statum, quem connatum nuncupant, respicias, inter officia, quorum implendorum nomine alter alterum legitime cogere potest, vix aliud reperies, quam eiusmodi, quo ne alterius iura laedamus, obligamur, qualem obligationem negatiuam appellare moris est: tamen ipsa natura hominem impulisse videtur, vt alterius beniuolentiam captaret eius commodis inferuendo, vicissimque ab eo similia expectaret. Ceterum, quicquid iure humanitatis, siue imperfecto, debetur, eius quidem praestationem, apparet, ab alterius candore atque honestate, ac proinde ab incerto euentu, pendere. Homines itaque, praeter omitendi obligationes, alteri et eas, quae praestando constarent, siue affirmatiuas, imponi curauere: quod alio modo fieri non potuit, quam consenti alterius in idem placitum obtinendo. Quo factum

factum est, vt, quoniam, quae antea liberrimi arbitrii erant, pacto inito perfecti iuris euadebant, varias, pro conditionis varietate, praestationes sibi quisque stipularetur. Iam ex paciscentium vnita voluntate, quae obligatio nascitur firmam eam quidem leges, quas sana ratio fert, agnoscunt, posthabitis omnibus solennibus, quaecunque syllabarum aucupes formularumque auctores excogitauerunt. Sed cum partim ob defectum diuersorum rituum a diuersis subinde legibus constitutorum, partim propter caeterorum astutiam, qua saepenumero fidem datam fallere conarentur, timerent alii, ne, quamuis summa cautione diligentiaque adhibita, tamen circumuenirentur, vinculoque pacti se subtraherent, qui eo tenebantur; firmandae obligationis subsidiis vt coeperunt: in quibus non vltimum locum occupat asseueratio religiosa, qua quis a pacto se non recessurum promittit, eo-que ipso irae diuinae metu ad fidem liberandam adigitur¹⁾: qualis asseueratio, qua Deus veritatis testis vindexque perfidiae inuocatur, iurisiurandi nomine venit: quod, prout veritas rei praesentis praeteritaetae asseritur, aut promissum seruatum iri confirmatur, in assertorium et promissorium dispescunt viri eruditi. De posteriori speciatim cum quaeritur, an et quoad obligationem conuentione ortam magis roboret stabiliatque, ad normam legum naturalium et iuris Canonico - Ecclesiastici quaestio diiudicanda videtur propterea, quod iuris ciuilibus Romani placita, si edictum praetoris exceperis, intactam fere hanc causam reliquere. Quodsi natu-

1) Vnde Gregorius Nazianzenus Orat. 40. in sanctum baptismum: *Εἰ γὰρ τὰς πρὸς ἀνθρώπου ἀπολογίας ἐπιτεδοῖ θεὸς μέσας παραλήψεις πάσας ὁ κτίνωνος ἂν πρὸς αὐτὸν ἐθέμεθα τῶν θεῶν εὐδαιμόνων τῶν παραβάτων εὐρίσκειται.*

Nam quum ad mutua hominum pacta firmanda Deus medius adhiberi soleat, quantum quaeso, periculum est, ne foedera cum Deo ipso contracta perfregisse reperiamur.

naturam rei sequamur, tota iurisiurandi vis pertinet ad internum cuiusque iudicium, quod conscientiae forum dicunt: qui enim peierat, diuinae vitioni se submittit, summiq; adeo numinis est, an puniri perfidiam velit, et quomodo. At quum ciuili iurisdictionis adipiscendae causa ecclesiae Romanae Pontifices pleraque fere omnia, obtentu peccatorum castigandorum, ad suas cognitiones raperent²⁾: breui res eo deuenit, vt nouam monstri non nihil prae se ferentem iurisiurandi formam effingerent, eius nimirum, quod conuentionibus adderetur. Enimvero fidem iurato datam vtrum quis liberauerit, nec ne, cum externis demum signis possit a iudice dignosci, plane patet, periturum dici non posse, nisi qui externo actu pactionem iuratum violauit. Primum igitur, quid in vniuersum sacramenti naturae conueniat, quaeue sit vera eiusdem potestas, inuestigabimus; deinde, quam ei auctoritatem iuris Pontificii sanctiones adiecerint; quam denique iure hodierno vsuque fori obtinuerit, breuiter trademus.

§. II.

Antequam vero iurisiurandi pacto adiecti valorem, secundum praecepta eius iuris, quo in statu naturali vtimur, explicare possimus, perfectas obligationes ab imperfectis, hoc est, iis, quae coactione destituuntur, opus est, vt discernamus, etiamsi, has in iure naturali nullum proprie locum occupare, verior inprimis recentiorum sententia defendit. Perfecte itaque si quis obligatur, alteri, qui hanc ei necessitatem iniunxit, ius cogendi datur: quod tamen non ita intellegendum est, vt semper exitum necessario habere debeat: fieri

^{b)} cf. Io. Aug. Hellfeld Progr. nom. §. 5. In Eiusd. Opuscul. no. de modis obligandi res per religio. 5. p. 81.

fieri enim potest, ut obligatio per se nequeat expleri, vel-
 uti, ut hoc exemplo utar, si quis iam alii eandem rem indi-
 viduam praestandam sponderit, aut, si promissi executio
 contra legem diuinam impingat, vel vires humanas superet.
 Is autem, qui iuravit, si quidem eiusdem legis naturalis ae-
 ternam auctoritatem agnoscamus, non alteri, cui iuratum
 est, obstringitur, sed vni Deo, cui se puniendum sub con-
 ditione periurii obrulit, neque alteri ex iureiurando aliud for-
 riusque ius enascitur, quam, quod ex pacto iam habet quaesitum.
 Quam ob rem tantum abest, ut sacramentum indolem promissi, cui accedit, immuter, ut potius hanc ipsam,
 tanquam accessio rei principalis naturam, sequatur. Vnde
 apparet, in eruendo iurisiurandi effectu ante omnia id
 pactum, cui adiungitur, inspicere oportere. Quodsi quid tale
 promittitur, cuius praestationem leges prohibent, illicitum
 ') pactum nominatur. Atque hoc nulla ratione, ne
 iuratum quidem, seruari posse aut debere, tanto certius est,
 quanto minus leges, quas per sanam rationem Deus homini-
 bus proposuit, quasi sub eius auspiciis violare permittitur
 2). Nihil igitur ex pacto debet praestari, nisi, quod licitum

1) Illicita sunt omnia, quibus alteri ius quoddam auferitur, seu quibus laeditur. Quod si fraude fiat, ita quidem, ut alter in eiusmodi errorem deducatur, quo falsum pro vero habet, ex eoque detrimentum caput: quis dubitet, eum non obligari eius nomine, in quod non consentit, adeoque tale pactum, aequae ac iurandum interpositum, valore suo destituit? Ex quo cognoscitur, quid sentiendum sit de opinione Grotii, quam L. II. de Jure B. et P. c. 13. §. 16. prodidit:

*Omnes contractus, etiam quibus alter laeditur, si iurandum interuenit, ob reuerentiam erga Deum, esse seruandos. Cui sententiae non immerito se opposuit Sam. Puffendor-
 sius de Jure Nat. et Gent. L. IV, c. II. §. II.*

2) Hugo Grotius l. I. Lib. II. c. 13. §. 6. *Nullas vires, inquit, habebit iurata promissio de re illicita aut naturaliter, aut diuina interdictione, aut etiam humana. Exempla praebet Sam. Puffendorsius l. I, l. IV, c. II §. 9.*

B

rum est. Cuiusmodi quid ubi alter alteri promissit, ibi stipulator, promissore fidem non liberante, aut huius cogendi iure instructus est, aut eo caret, hanc ob causam, quod, promisso stare velit, nec ne, arbitrio eius, qui se obligavit, leges relinquunt. Prius si existit, non licita modo conventio, verum etiam valida; si posterius, quamvis licita, tamen inualida dicenda est. Illam sequenti paragrapho referabimus: de hac age nunc videamus. Promisso igitur, licito illi quidem, per se tamen inualido, si iusiurandum accesserit, ut, ubi quis, dolo inductus, metue coactus, promiserat, eius effectum, contendimus, in promissoris arbitrio positum esse, siue, ut clarius loquamur, potest is quidem pacti fidem exsoluere, sed cogi ab altero nequit, quamquam iuri immunitatis ab obligatione renunciare, indebitumque solvere, integrum ipsi manet. Quod si iurata sit eiusmodi obligatio, eundem inde effectum produci, qui ex ipso pacto nascitur, nec minus ab ipso recedere licere promissori, qui iuravit, ex eo quidem dubium existimari possit, quod per sacramentum iuri discedendi renunciaffe videretur: verum haec obligatio, si qua noua existat, cum mere interna sit, Deo quippe soli debita, nec foro humano subiaceat; nulli dubitamus, quin obligatio externa, orta ex ipso pacto, eademque principalis, nec mutetur, nec augeatur, cum alter ad iurandum dolo induci, aut metu cogi, non minus facile queat, quam impulsus antea fuit ad promittendum.

§. III.

Iusiurandum itaque, ut vidimus, pacti firmandi naturam haud alterat, sed certiore modo eum, cui iuratur, efficit, quae pacto insunt, re ipsa seruatum iri, cum, qui iuravit, poenam diuinam sub conditione fractae fidei prouocauerit. Ex quo sponte consequitur, non aliud sacramentum,

mentum, eius indolem si spectes, virtute stabili pollere, quam, quod conuentioni per se ad obligationem producendam valida adiectum est. Quod non nisi haecenus effectum suum exserit, quatenus, qui promissum accepit, minus iam dubitare potest, obligationi ab altero contractae satisfactum iri, nec tantam eius impietatem fore, vt adeo petulanter grauissimam diuini numinis indignationem aduersus se deponat. Fortius enim cogendi ius inde stipulatorem consequi, nulla ratione defendi potest, cum haec irae diuinae prouocatio iura eius, cui praestitum iusiurandum est, minime interuertat aut imminuat, proptereaque huius intuitu, si a iure per pactum quaesito discesseris, impune illud negligatur. Neque enim vltionis ac poenae facultas vlli competit, praeter eum, cui ex ciuium consensu ea demandata est, quique potestate summi imperii, in ipsam collati, delictis accensere periturum, idque tum interdicare lege poenali, tum vlcisci potest, atque etiam debet. Hoc autem quum ad statum hominis aduentitium, non naturalem, adeoque nec ad institutum nostrum pertineat, merito missum facimus, id vnum quaerentes, vtrum in naturali hominis conditione per sacramenti religionem augeatur obligatio ad pacta seruanda? Quod non potest non negari. Validum praeterea pactum cum id dicatur, quod effectum parit eum, cuius causa celebratum est, eiusque natura iureiurando haud immutetur: lucide apparet, conuentionem principalem, eiusque leges omnes atque formulas, si per se obligent, easdem manere, eundemque effectum producere, siue iuratae sint, siue minus; et contra ex iisdem causis, quae in statu naturali ad rescindendum pactum sufficiunt, iurato etiam pacto vim omnem adimi posse.

§. IV.

A naturali iure transeundum iam nobis est ad leges ecclesiasticas, quarum complexio ius Canonicum constituit. Sed earum auctores cum in id potissimum, tanquam in cynosuram, nervos omnes intenderunt, ut dominatum cleri quouis modo ampliarent, omnibusque in causis etiam his, quae civili potestati subiectae sunt, iuris dicundi facultate illum impertirent: tum, quo facilius finem propositum adsequerentur, iudiciorum ecclesiasticorum terminos transgressi, non ea modo, quae debebantur ex imperfecta mereque interna obligatione, specioso peccati vitandi titulo sibi denunciari curauere, ¹⁾ verum eorum quoque cognitionem, quae coactionis iure exigebantur, quaeque ad ecclesiam nullo modo pertinebant, suis tribunalibus vindicarunt. Cuius rei, si vllius, documentum luculentissimum exstat in constituenda iurisiurandi facultate. Quod cum sua natura, uti monuimus, obligationem, praeter internam, omnino nullam efficere viderent, tamen proposito suo aptissimum se subsidium habituros duxerunt, si negotiis iurisiurando nouum robur ad crescere docerent, plebemque, nimis heu credulam ac superstitiosam, eo momento ad iurandum quasi allicerent atque inuitarent. Utque istius asserti veritatem reliquis persuaderent, nouum obligationis vinculum posuere in eo, quod, cuius iurisiurando votum inesse, ideoque praeter ea, quae ex pacto deberentur, Deo etiam, quod iuratum esset, praestari oportere, statuerent. ²⁾ Esti porro, me quidem iudice, abusui sacramentorum, tam fre-

1) In cuius remedii, Pontificum astutia orti, natales atque usum inquiri Boehmerus iur. Eccl. Prot. L. II. C. II. §. 7.

2) Vnde Pontificii, relaxatio-

nem iurisiurandi etiam per se nullius peti, postulant. Cui errori subscripsisse Struuium in diff. de relaxatione iuramenti ad effectum agendi, oppido mirum videretur.

frequentium nostra etiam aetate vanorumque, obex potius ponendus, maximeque ab his, quae praesentissimum periculi metum inferunt, abstinendum sit, neque Christianum deceat, irae divinae se tanta animi leuitate deuotere: tamen hierarchiae fautores, omni iniuriando diuini numinis cultum inesse, partemque religionis demonstrandae, nihilofecius defenderunt: ³⁾ tantumque abfuit, vt iurisiurandi frequentiam restringerent, vt contra, dominatus sui stabiliendi causa, summo ausu eam extenderent atque auerent. Neque tamen eo audaciae progredi sustinere, vt, omnibus omnino negotiis effectum iureiurando addi, profiterentur; quin potius, quo minus in eo vinculum iniquitatis contineretur, prohibuerunt, impiamque iudicarunt promissionem, quae scelere adimpleretur. Proinde negotii, de quo iurandum sit, conditionem, cum iure meritoque obseruauerint, licitosque actus ab illicitis, ab inualidis validos, seiunxerint: quid in quaque singulorum specie obtineat, paulo penitius inquiramus.

§. V.

Quicquid igitur alter alteri se praestitutum spondet, aut ita se habet, vt iura, promissorem stipulatori obligari, velint, aut contra. Quod posterius vbi deprehenditur, ibi expletio promissi vel simpliciter lege prohibetur, vel promissoris voluntati committitur. Illam quidem conuentionem

B 3 nem

3) A quo errore praeter Ge. Ad. Struuium in Synt. Iur. Ciu. L. XII. T. II. th. 1. ipsum Carpzo- uium in Def. Forens. Part. I. Conf. XVI. def. 69. n. 8. haud liberum inuenimus, qui recte quidem, clericos ad testimonium iurato depo- nendum compellendos esse, haecuit,

sed falsam rationem addit hanc, quod iusiurandum sit species cultus diuini, quum vera potius causa sit obligatio cuiusuis ad veritatem dicendam, seruandasque leges, quae testes iuratos, omni dignitate post- habita, requirunt.

nem illicitam recte dici, nemo ignorat. Hanc vero, quoad praestatio eius, quod conuentum est, in fauorem promissoris, ab eiusdem arbitrio pendet, infirmam, vel imperfectam, doctrinae causa vocare liceat. Illicita ergo conuentio censetur, quaecunque, si exitum nancisceretur, delictum contineret. Vt autem quaeuis actio iustae legislatoris voluntati contraria legem diuinam offendit, qua, qui subsunt imperio principis, ei obsequium debent, eamque ob causam peccatorum numero haberi, et aeternae salutis periculo perpetrari dicitur; ita clare perspicitur, quis sensus sit illius decantatae iuris Canonici regulae: Omne iusiurandum, quod salua aeterna salute seruari potest, seruandum: hoc est, vt aliis verbis vtamur: iuratae seruationi, quatenus peccati nihil habet, nec bonis moribus refragatur, standum esse. Quodsi autem illicita conuentio deprehendatur, non modo principalis obligatio corrumpitur, sed etiam eum, qui iurauit, vt in periurio committendo tam leuem, aequae atque alterum, qui iusiurandum exegit, excommunicationis poenae subiicit Bulla Gregorii XIII. de ao. 1584. in Bullario Tom. II. p. 478. E contrario, qui ea promissit, quae neque cogitur neque prohibetur praestare, si iusiurandum promissioni addidit, iuri pro se introducto renunciaisse censetur, nec impune fidem fallit.²⁾ In quo ipso id robur cernitur, quod ecclesiasticae sanctiones, praeter iuris ciuilibus placita, iuriurando largiuntur. Atque his

sup-

1) c. 1. de iurei. in 6to et reg. 58. de reg. iur. in 6to.

2) Sic, vt e pluribus exemplis in iure nostro frequentibus vnum alterumue subiticiam, minor, pubes factus, si beneficio restitutionis iuriurando interposito renunciauerit, non restituitur in integrum,

per Auth. Sacramenta puberum C. si aduers. vendit. Sic donatio inter coniuges iurata valet, c. 28. X. de iureiur. Sic renunciatio futurae hereditatis, iure ciuili inutilis, iuriurando interueniente, valorem consequitur, c. 2. de pact. in 6to.

suppositis haud difficile erit, et hanc controversiam componere: Defectus solennium, negotio celebrando a legibus praescriptorum, an iureiurando suppleatur? Etenim solennitates illae si utilitatis publicae gratia, et sub aliqua poena, requiruntur ad actum peragendum: cuius rei exemplum praebet copula et gratulatio sacerdotalis, ad matrimonium consummandum necessaria: tum, qui iuravit, neutiquam obstringitur: poenam tamen leuitatis merito luit. Sin priuatorum tantum commodo introductae sunt, eum, qui has negligere saluo alterius iure potuit, iureiurando deinciri, omnes concedent.

§. VI.

Ex his, quae haecenus diximus, satis liquet, hanc esse voluntatem iuris Canonico-Pontificii, quod et Euangelicorum coetus satis inutiliter recepit, ut negotio in fauorem auctoris sui nullo accedens iusiurandum obligationem conciliet, quod magis per legis arbitrium, quam per internam iurisiurandi formam atque indolem, ita fieri, nemo inficiabitur, cum, vinculum pacto iniurato fortius si iuriurando tribuatur, adeoque interni hominum iudicii, siue conscientiae, habeatur ratio, humani iuris limites excedantur, quod legislatorem velle, haud praesumitur, sed ex euidenti eius significatione debet constare. Atque hanc potestatem cum, praeter iuris naturalis ciuilisque iussa, iuris ecclesiastici auctoritas sacramento adiunxerit, nec tam firmari eo principalem obligationem, quam nouam acquiri, sancierit: quid mirum, eodem illo iure pactis per se obligantibus, si iureiurando firmata fuerint, tanto plus virtutis accedere? Inest autem eiusmodi pacto, siquidem propius rem intueamur, duplex causa. Etenim, quod stipulatori debetur, cuiusque nomine ius actionemque habet, diligenter

ter secernendum est ab eo, quod ex religione ac pietate adversus Deum proficiscitur. Huius quippe officii violatione impugnatur salus reipublicae, cuius interest, ne periuria committantur; et iudex, legis poenalis exsequendae causa, in huius delicti veritatem ex officio inquirit, periorumque plectit. Eam ob causam intelligitur, suo effectu haud excidere iusiurandum eiusmodi, quod renunciationibus promissionibusque extra iudicium, ad finem contractuum aut transactionum, annecti haud raro solet: qui enim promisso recusat stare, praeter obligationem ad id, quod interest, alteri contrahentium praestandum, quam civilem dicunt, ad poenam publicam periurii nomine subeundam obstringitur ¹⁾.

§. VII.

Sequitur, ut propius accedamus ad id, cuius causa hoc, quicquid est, scriptiois adgressi sumus. Nam, de iurisiurandi ad pacta firmanda effectu quae generatim disserimus, ad sponsalia nominatim, siue conventionem eam, qua nuptiae ineundae promittuntur, necesse est, in praesenti ut conferamus: ex quo eluceat, quid ecclesia Romana, matrimoniorum non minus, quam iurisiurandi, nimio quodam favore ducta, eo nomine constituerit. Quamvis enim ipso quidem matrimonio, ut adminiculo propagandi generis humani diuinitus instituto, praecipua quasi tutela patrocinentur canones Pontificumque decreta, idque inuiolabili nexu continendum sanciant: tamen, qui finem sibi propositum obtinere cupit, cum is subsidia quoque debeat adhibere: fidem de matrimonio contrahendo datam sancte ser-

van-

¹⁾ Haec est sententia Io. Sam. Frid Boehmeri in Medit. ad C. C. C. Arr. 107. §. 5. p. 345. idemque

in Saxonia Electorali obtinere, testatur Ordin. Polit. de ao. 1612. n. 3. et de ao. 1660. tit. 4.

vandam esse, quis neget? Pacto de ineunda societate, quam voluntas diuina, et reipublicae salus ac sua cuique natura quam maxime commendant, minora, quam huic ipsi, iura tribuenda, quis, quaeso, asserat? Quid igitur mirum, qui fidem sibi sponsalitiā dederint, hos ad eam seruandam quouis modo compellendos cenferi ab Innocentio III. Pontifice Romano 1)? Quid mirum, qui a sponsaliorum pacto discesserint, perfidiae reos postulari ab Imp. Constantino M. 2)? Atque huius pacti sanctitas quanto magis iurisiurandi accedentis religione munitur augeturque, tanto quidem arctius vinculum paciscentes constringit, quod sine periurii nota rumpi non posse, nemo ignorat. Cum autem sacramentum, saniora principia si sequare, ipsam obligationem non pariat, sed tantum roboret, vim omnem, intelligitur, a sponsaliorum virtute proficisci, proptereaque horum ante omnia valorem cognoscendum esse, si quis de illo recte iudicare velit. Sunt vero sponsalia, quod omnes norunt, nihil aliud, quam pactum de matrimonio contrahendo: eundemque in modum verbis, si non iisdem, at sensu aequalibus definiuntur a Pontifice Nicolao 3) et Florentino Icto 4). Germaniae quidem nostrae moribus, cum ea nullo ad effectum nanciscendum auxilio, neque adeo iureiurando egeant, modo nec legis alicuius prohibitioni, nec suae ipsorum naturae repugnent: tamen, quoniam ex iuris Canonici praeceptis vim singularem habent, ac praeterea fere quotidie oriuntur contentiones de repudio, non inutilem operam nos collocaturos putamus, si regulas generales, e quibus singulares causae tutius diiudicari possint, ipsarum legum

1) c. 2. X. de sponsal.

2) L. 4. C. Theodof. de Sponsal.

3) c. 3. C. 30. qu. 5.

4) L. 1. D. de sponsal.

legum auctoritate innixi, constituamus. Primum de eo iureiurando videbimus, quod sponsalibus ab initio nullis accedit. Nullum autem omne pactum vel ideo dicitur, quia eius, quod in obligatione est, praestatio lege prohibetur, vel quia consensus deficit. Iam omnia negotia, contra legum voluntatem suscepta, ipso quidem iure nulla censentur, L. 5. C. de Legib. Sed nobis non nisi de eo genere loqui conuenit, quo sponsalia lege prohibentur contrahi. Quod totum genus reducendum erit ad diuersos consanguinitatis affinitatisque gradus, pro iurium diuersitate definitos; intra quos qui colligantur inuicem, a sponsalibus celebrandis arcentur, quae, quamuis iurata, neutiquam consummanda, quin poenitentiam illiciti iurisiurandi reo imponendam decreuit Alexander III. in cap. 4. X. de sponsal. Cui quidem loco videtur ob stare c. 12. X. ibid. quo eiusmodi matrimonium contrahi vetatur, nisi iuramentum interuenisset. At vero hic non de eo iureiurando, quo sponsalia firman- tur, sed de eo, quo vna pars cum altera se non concubuisse asserit, sermonem esse, inspectis verbis, plane intelligitur. Nec fortiori vinculo constringetur, qui, dolo inductus⁵⁾, metuque ac vi compulsus⁶⁾, sponsalia contraxerit, cum nec ciuili⁷⁾, nec canonico⁸⁾ iure, societas consensu perficienda subsistat, si dissentiant in re ipsa, qui nuptias sermone ver- bisque

5) Sam. Stryck. *diff. de obligat. sponsal. cap. 2. §. 7.*

6) Boehmer. I. I. Lib. IV. tit. I. §. 121. Dissentit ac sponsalia metu extorta haud ipso iure nulla habet Thom. Sanchez de sancto ma- trim. sacram. L. IV. disp. 19. n. 1.

7) L. 57 D. de obligat. et action. L. 116. pr. et §. 2. D. de reg. iur.

8) c. 28. X. de sponsal. et ma- trim. Caeterum quae vis consen- sum sponsaliorum impediatur ea- que vitier, disquirat Iust. Hen- ning. Boehmerus. *Iur. Eccles. Protest. L. IV. Tit. I. §. 108. sqq.* Quamquam, vim externam ab eo, qui ius cogendi habet, illatam, li- bertati voluntatis haud nocere, mi- nus recte §. 110. asserit.

bisque promittunt. Quare, sponsalibus ita vitiose contractis quin iusiurandum inutiliter accedat, nulla dubitatio relinquatur. Similiter eos, qui propter aetatis immaturitatem deficientemque usum rationis ad paciscendum inhabiles reperiuntur, quam pactionem per naturam inire nequeunt, nec iureiurando eam posse conualidare, in aprico est. Quo loco frustra quaeratur: Sponsalia impuberum iurata annon restitutionem in integrum admittant? Quod utique haecenus negandum erit, quatenus negotii nullitas restitutione in integrum opus haud quaquam habet. Vnde et facile dirimetur quaestio haec: Error admissus in iis, quae ad substantiam negotii pertinent, vtrum sponsalia iurata inualida efficiat? Quodsi enim error conceptus sit ex alterius dolo astutaque simulatione, propter absentiam consensûs nec iureiurando illa conualescere, perspicitur: sin ex ipsius errantis negligentia culpaue prouenerit, per se quidem subsistunt, neque adeo huius sunt loci; de caetero causam repudio dare, vt alia plura, possunt⁹⁾. Nullitati autem sponsaliorum, eum appareat, interpositum iusiurandum haud mederi, nec eius relaxatione, quam Pontificii vtilitatis pecuniariae causa inuenere, siue actu eo, quo publica auctoritate iuriurando vis obligandi adimitur, Evangelici egeant, propterea, quod non maiorem illud erga Deum, quam erga stipulatorem, cui iuratur, obligationem gignit: tamen, qui sponte ac dolose iurato promisit, cui praestando se imparem sciuit, merito leuis animi spretaeque religionis poenam subit¹⁰⁾.

C 2

§. VIII.

9) Sam. Stryck. de diffensu sponsalir. Sect II. §. 30. sqq.
10) Periurium tamen ab eo non

committi, recte docet Kochius Institut. iur. crim. L. II. c. 40. §. 544.

§. VIII.

Quae sponsalia necessariis deficientibus ne ab initio quidem obligandi vim acceperunt, quibusque frustra iusurandum adiicitur, his accensentur et ea, quae naturali quidem lege valent, sed contra formam iure civili praecipiamur ineantur. Inest autem cuiuslibet negotii forma in ritibus seu solemnibus ad valorem eius necessariis. Quo maioris itaque momenti actus suscipiendus est, quoque plus damni ex eo metuitur salutis publicae, quae a privata seungi nullo modo potest, eo cautior circumscriptio deliberatiusque consilium in expediendo illo exigitur. Atque in hoc nobis videtur primariam causam deprehendere, qua ducti legislatores sponsalia, nisi consensu, tum ab ipsis desponsandis legitime declarato, tum ab his, quorum singulari curae hi subsunt, rite interposito, rata non habent. Primo igitur, quomodo a paciscentibus iuste consensus significetur, expediamus. Id quod simpliciter coram testibus fieri debere, sibi persuasit Bened. Carpzovius¹⁾, cuius sententiam ut amplectamur, impetrare a nobis non possumus. Testium enim praesentiam etsi utilissimam apertissimamque litibus evitandis existimamus; tamen, cum hanc solennitatem iura communia non postulent, sine testibus inualida sponsalia non aliter ducenda sunt, quam si ecclesiasticis provinciarum legibus illi requirantur, nudo ceteroquin consensu sufficiente²⁾. Iam ubi provincialis aliqua constitutio adhiberi eos iubet, dubium oritur: annon sponsalia sine testibus iniuria iusurandum conualidet? Cui occurrendum erit distinctio-

1) In Iurisprud. Eccl. L. II. def. 33.

2) L. 4. pr. D. de sponsal. Eandem sententiam tuetur Sam. Stryck,

in vsu mod. Pandect. tit. de sponsal. §. 6. Cf. egregiam Io. d'Avellan dissertationem de sponsal. et matrimon. cap. V. in Meerm. Thef. Tom. IV. p. 315. sqq.

Etione quadam obseruata. Si enim ita testium praesentiam leges iniungunt, vt, iis deficientibus, nullum sit, quod agitur: tum ius, salutis publicae gratia introductum, priuatorum voluntate mutari, aut, quod inualidum leges esse volunt, singulorum arbitrio conualescere neuiquam posse, quis est, qui ambigat? Iusiurandum igitur, eiusmodi sponsalibus adiectum, cum legum auctoritati contrarium sit, quomodo producere obligationem iurantis, aut iniquitatis vinculum³⁾ esse, poterit? Ipsa quidem sponsalia, sine testibus celebrata, pro pacto potius futurorum sponsaliorum habenda iudicat Thomastus in diss. de pact. futuror. sponsal. Quodsi autem non necessitatis, sed maioris tantum fidei auctoritatisque gratia, testes sponsalibus ex legum iussu interesse oportet: haud ambiguum erit, iureiurando id negotium confirmari planeque ad exitum deduci posse. Aliud solenne sponsaliorum ineundorum, commune illud Romanis atque Germanis, positum est in consensu eorum, quorum curae praecipuae committuntur, qui desponsari volunt. Neque enim ius ciuile⁴⁾ solum, sed etiam ecclesiae veteris ac recentioris⁵⁾ placita iis, qui sponsalia rite contrahere cogitant, necessitatis quadam lege consensum parentum impetrandum iniungunt. Sane cum liberorum educationi curandae, promouendaeque felicitati, domesticum parentum imperium respondeat, matri autem aeque ac patri obsequium et reuerentia ex naturali ratione debeantur: Germaniae mores in ea causa parenti vtrique auctoritatem

C 3

can-

3) c. 18. X. de iurei.

4) Pr. Inst. de nupr. L. 35. D. de ritu nupt. L. 7. C. de nupr. Ple- nius eam rem edisserit Brouwerus de iure connub. Lib. I. cap. 7.

5) Quae ordine exponit Boehme-

rus I. E. P. Lib. IV. tit. II. §. 2. sqq. Cf. Io. Frid. Eisenhart Grund- sätze der deutsch. Rechte in Sprüchwörtern p. 68. paroem. Heimliche Verloebniß stifft keine Ehe.

eandem concesserunt, vt, eius consensu a liberis in sponsaliorum conuentione praetermissio, nihil actum censetur. Vnde sponsalia contra hanc necessariam formam contracta, quae clandestina peculiari nomine audiunt, nec iureiurando addito subsistere, cum diuina ⁶⁾ et ecclesiastica, ⁷⁾ tum patriae nostrae iura, ⁸⁾ discretis verbis praecipiunt, vt adeo et hic iniurandum naturam negotii, cui adicitur, sequatur. Atque horum iurium ratio aperte posita est in naturali parentum potestate, qua per emancipationem sublata, et ipsa sanctio legis deficit. Quam ob causam filia, si vidua facta in patris matrisue domum se receperit, quamuis potestatem parentis denuo agnoscere videatur Boehmero, ⁹⁾ tamen, accedente praesertim iureiurando, eam citra consensum parentum ad seruandas nuptias transire posse, arbitramur: nihil enim impedit, quo minus, cui sponte se potestati subiecerit, ea se sua sponte abdicare queat.

§. IX.

Satis pro instituti ratione diximus de his sponsalibus, quae aut per se, propter defectum earum rerum, quas ipsa natura desiderat, aut ob formae legitimae omissionem in-

va-

6) Num. cap. XXX. v. 4. 5. 6.

7) c. 6. X. de condit. adpos. Carpzov. Iurisprudens. Eccles. L. II. def. 58. Sententiam collegii iuridici Halensis, sponsalia clandestina, quamuis iureiurando munita, irrita pronuntiantem, exhibet Sam. Stryek, in V. M. Pand. tit. de sponsal. §. 16.

8) Decis. Elect. 32. de ao. 1746. sponsalia sine parentum consensu contracta nulla declarat, nec iusiurandum de iis deferri posse sancit.

Eadem inuitis parentibus, ac senquam consensuros significantibus contracta, quanquam subsecuto coitu aut sacerdotali copula, pro nullis habet Decis. El. 21. de ao. 1746. in Cod. Aug. Vol. III. p. 358. et 359.

9) Qui l. i. §. 16. eiusmodi filiam, neglecto parentum consensu, denuo nubere valere negat. Sed ingenue fatemur, eius argumenta nobis non satis ad persuadendum graua videri.

valida siue nulla sunt, nec iureiurando firmiora existunt. Progrediendum igitur est ad ea, quae ab initio quidem firma, casu quodam superueniente infirmantur: vbi, an iusiurandum iis adiectum, quo minus corruant, obfisteret, operae pretium erit, indagare. Is autem casus superueniens vel in deficiente conditione inest, vel in aliis causis, de quibus postea. Iam nemo quidem dubitat, quod negotium libero suscipientium consensu absoluitur, quin suspendi possit in euentum qualemcumque vtrinque manifestatum, cuiusmodi euentum, a quo existente implementum aliquod suspenditur, conditionem vocari, constat. Quamobrem ea tantum conditione pactum suspendi, quae in futurum tempus confertur, quacque obligationem euentu existente fixam reddit, testis est Papinianus ICtus in L. 37. D. de reb. credit. Atque illum euentum, cum contrahentes, pactum seruatum iui, voluisse praesumantur, in vnus alteriusve partis potestate situm esse oportet, ¹⁾ quamuis et castis possit concurrere. Vt vero, qui conditionem sponsalibus adposuit, accedente postea coitu, pure ac simpliciter contraxisse censetur iure Pontificio, ²⁾ idemque apud Euangelicos tenere, testatur Carpzouius; ³⁾ ita, sub conditione si quis nuptias ineundas promiserit, post autem iureiurando pure idem confirmet, huic sacramento eundem effectum inesse putamus, quem coitus inducit, vt qui semper extra matrimonium in delictis libidinis numeratur, hic autem convalidandi facultatem sortitur. Et si enim huic ob fauorem

vi-

1) Carpzouium, conditione repugnantiam continente, seu impossibili, sponsalia infirmari. Statuentem, merito reprehendit, sanioraque docet Stryckius in V. M. Pand. L. XXIII. Tit. I. §. 21.

2) Per cap. 6. X. de condit. appol vbi haec: pro matrimonio est praesumendum, quia videtur a conditione adposita recessisse.

3) In Iurisprud. Ecclesiast. L. II. def. 25.

vitatae is effectus tribuitur, qui fauor in iureiurando abesse videtur: tamen, qui, summo numine prouocato, nulla conditionis mentione facta, matrimonium quamuis priuatum promisit, ad quem actum nemo praesumitur ex animi temeritate leuiter proflire, multo magis censendus est conditionem remisisse, nostro quidem iudicio, quam qui coeco amoris impetu bacchatus, quod extremum amoris est, anticipauit. Quodsi vero iusiurandum sponsalibus sub conditione initis firmandi causa accesserit, adeoque abscissam euentus expectandi obligationem inducat; eo conditionem roborari potius, quam tolli, palam est. Restat, vt de iusiurandi effectu in concursu sponsaliorum nonnihil subiiciamus. Conuentio, in tertii alicuius inscii atque inuiti detrimentum inita, vti omnino nulla est, ita sponsalia celebrata ab eo, qui iam alii fidem antea dedit, ideoque hoc nomine non amplius libere statuendi potestatem habet, ciuilem effectum nunquam, ne coitu quidem subsecuto, adipiscuntur inuita parte ⁴⁾ altera; quin potius, qui puellam dolose induxit ad sponsalia, quae priorum causa consummari haud posse, sciebat, eidem ad id, quod interest, obligatur, nec habemus, cur iurisiurandi religione doli praesidium ipsi afferri, pactionemque contra sponsae prioris ius conuentam sustineri statuamus, cum sine peccati poenaeque nota seruari non possit, adeoque ne Canonico ⁵⁾ quidem iure vinculum constringat.

§. X.

Praeter eam, de qua proxime differuimus, sunt et aliae iustae causae, propter quas sponsalia legitime contracta

4) Io. Schneidew. Comm. ad Inst. tit. de nupt. Part. I. n. 18.

5) Arg. c. 28. X. de iurei.

ta possunt rescindi: quae rescissio proprie repudium dicitur. In his causis per cap. 16. X. de sponfal. *) nominatim ingressus in religionem collocatur. Qui si sponsalia iurata subsequatur, eum, qui statui religiosae sodalitatis se obtulerit, miro errore Pontifex, vt iusiurandum seruetur, vxorem ducere ac mox dimittere iubet. Conueniunt nimirum talia istis Pontificum ineptiis, profitentium, fidei datae satisfactum esse, dum, qui iurauit, fecisse videatur, quod vere non fecit: quam eandem fere cantilenam canit Alexander III. P. M. in cap. 6. X. de iurei. vbi debitorem, qui creditori vsuras iurata fide promiserat, ad eas quidem praestandas condemnat, sed eidem, vt praestitas statim repetat, permittit: item Innocentius III. P. M. in cap. 25. X. de iurei. vbi, maritum, qui vxori iurauit, se eam adulterii nunquam accusaturum, eo nomine accusare posse, negat, adulterium vero recte denunciare, ait: quasi huiusmodi nugis Deo imponi fas sit. Rectius itaque dicitur, per ingressum in religionem, vel inuita parte altera, sponsaliorum *) obligationem euanescere inter Pontificios ex opinione de singulari vita meritoria. Quae doctrina quamquam apud Euangelicos exulat, tamen in ecclesia Romana occurrit

1) Ibi haec verba: *Significauit nobis Fraternitas Tua, quod quidam cuidam mulieri de contrahendo matrimonio fidem dedit, et se cum ea intra biennium per verba de praesenti contracturum, praestito iuramento firmavit, nunc autem priuata lege ductus, ad frugem melioris vitae transire suspirat: Fraternitati tuae respondimus, quod tuius est ei, religione iuramenti seruata, prius contrahere, et postea, si elegerit, ad religionem migrare, si tamen post de-*

sponsationem copula non dignoscitur interuenisse carnalis.

2) Merito enim ridenda est subtilitas eorum, qui propter cap. laud. 16. X. de sponfal. matrimonium ante ingressum contrahi quidem, sed non consummari debere, statuunt. Quid? quod ipsum matrimonii vinculum in status monastici fauorem professione rumpi, ac perfidus coniux ad Deum transire dicitur in cap. 2. X. de conuers. coniugat.

D

rit quaestio: An sponsalia sacramento munita voti monastici susceptione rumpantur? Quam quaestionem striete solvere non audeat Thom. Sanchez de sancto matrim. sacram. Lib. I. disp. 43. n. 3. At cum in ea specie Pontifex pariter iuriurando satisfaciendum ac vitam religiosam anspectendam praecipiat, nos quidem eam partem, quae religioni se dicauit, in eam ingredi, alterique id, quod interest, praefare debere, arbitramur, nisi coitus accesserit, quo secuto cum vinculum indissolubile nitatur, quod haud fert monasterii status, desponsatos simpliciter ad matrimonium contrahendum vitamque seculi agendam obligari putamus, quod ostendunt ipsa verba dicti capituli: *dummodo commixtio carnalis non interuenerit inter eos.*³⁾ Potestatem principis legislatoriam, quam pro iure imperii ciuilis tenet, Pontificii tam angustis terminis circumscribunt, vt eius regimini ecclesiam prorsus eximant:⁴⁾ ex quo conficiunt, eiusdem iussu in causa ecclesiastica impune non pareri. Iam quoniam omnia, quae ad connubii societatem quocumque modo referuntur, Pontificii ecclesiasticae cognitioni, exclusa ciuitate, vindicare, is princeps, qui Pontificiorum sacris nomen dedit, sponsaliorum rite celebratorum vinculum frustra infringere conabitur, vt taceam, si iuratum fidem sibi inuicem dederint desponsati, hac eos liberari non posse, nisi iureiurando relaxato, vt loquuntur, seu, quod perinde est, virtute obligandi publice soluto: quae relaxatio ne ab alio quam ecclesiastico iudice fiat, cauetur cap. 13. X. de iudic. et cap. 3. de foro compet. in 6to. Apud Euangelicos autem cum princeps legum ecclesiasticarum ferendarum potestate per ius episcopale vtatur, eundem in causa sponsaliorum

3) Conf. Boehmerum in I. E. P. Lib. III. Tit. 32.

4) Thomasi histor. content. inter imp. et sacerdot.

rum exemptionem concedere, seu dispensare, ipsaque dissolvere, dum in alterius damnus nihil agat, iurata etiam rescindere iustis ex causis posse, perspicitur, cum, et relaxationis facultatem in nonnullis prouinciis *) diserte sibi principes reseruasse, iam obseruauerit Boehmerus in Iure Ecclesiastico. Protest. Lib. II. tit. II. §. 30. Superfunt aliae causae, repudio decernendo secundum leges idoneae: quas singulas pro diuersitate causarum enumerare superfedemus, liberati hac necessitate a Sam. Stryckio, qui omnes ad tria quasi capita reduxit. Toties nimirum sponsalia legitime inita rescindi posse, ille argumentatur, quoties I. vel tale quid superuenierit, quod si tempore conuentionis adfuisset, altera desponsatorum pars aut vtraque in matrimonium consensura haud fuisset, vel II. impedimentum, quo minus matrimonii finis obtineri queat, successerit, vel III. ex ipso euentu pateat, infauitissimum coniugium inter desponsatos secuturum. Igitur iurisiurandi adiectio sponsalibus, ex vna alterave harum causarum rescissioni obnoxiiis, quoad effectum tribuat, sigillatim paucis expediamus. Si qua sponsalibus celebratis mutatio successit eiusmodi, quae si tempore pactiois extitisset, desponsatos, certum est, contracturos non fuisse, tum perpendendum ante omnia erit, vtrum in aliquo accidenti, hoc est, eo, sine quo connubii finis obtineri nihilominus potest, vicissitudo euenerit, veluti, si foemina, quam praestantis formae facies commendauerat, postmodum variolarum morbo deformata sit: vbi, ex iuris Canonici praeceptis, sponsus iurisiurandi religione, vt quod sine salutis aeternae dispendio seruari potest, vti que obstringetur,

D 2

*) In Saxonia Electorali per Const. 36. Part. II. C. A. Tom. I. p. 98. decretum super sacramento relaxando, causa prius a dicatoris cognita, ab ipso Principe Electore fertur.

tur, praesertim si, qui superuenit, casus non sit insolitissimus ac iusiurandum sine vlla limitatione conceptum. Secus autem pronunciandum, si quod impedimentum tale obuenit, quo matrimonii finis tollitur. Tum enim omnino nulla obligatio iureiurando efficietur, cum, qui contraxit, de hoc nec alio fine obtinendo cogitauerit, certe cogitasse praesumatur, eandemque ob causam semet ipsum obligaverit: in quo fine inest ipsa causa consensus, vt adeo, sublato fine, et hic ipse tollatur, corruatque pactum. Unde apparet, sponsaliorum iureiurando firmatorum maiorem, quam iniuratorum, obligationem haud esse, si primarius isque vltimus finis nequeat attingi, veluti, si quis, vt hoc vtar, morbo aut alia vi externa potestatem generandi amiserit. Quo fine nescio an remotior sit is, qui cernitur in vitae commodioris ratione: quem ii praesertim expetunt, qui senio confecti, aliamue ob causam, spe liberorum suscipiendorum exciderunt: qui finis si postea ob delictum atrox ignominiamque inferens, aut propter inimicitias irreconciliabiles, deserit, quid valoris habeat iusiurandum in conuentione de nuptiis mutui auxilii causa promissis, incertum viderur. Enimuero quale crimen sponsi sponsaeue iustam repudii causam contineat, definire studuit Stryckius in diss. de sponsal. obligat. et dissolut. qui ob quoduis delictum infamia notandum, ⁶⁾ quin etiam ob insaniam facto contractam, locum repudio facit. Postremo loco, quum, minime ob quamlibet rixam rumpenda sponsalia esse, nemo non largiatur: vbi index adeo exulceratos viderit animos eorum, qui matrimonium inuicem promissere, vt verosimile sit,

6) Cuius generis omne furtum etiam minimum esse, aduersus Carponium in Iurisprud. Eccles. Lib.

II. def. 178 demonstrat Augustinus Leyserus in Medit. ad D. Spec. 52. meit. 4.

fit, nunquam inter eos concordiam coalituram, vel nuptias illas materiam caedibus ac discordiae daturas, ibi demum sponsalia dissoluere ipsi fas esse, ait Carpzovius. 7) Quod in sponsalibus iuratis aequè facile fieri posse, vix credimus: disquirendam potius existimamus, vtra pars rixarum sit atque odii causa? Sane auctori contentionum et inimicitiae, tantum abest, vt ad dissolutionem prouocare, spretaque iurisiurandi religione, factò illicito, deserere bilaterale pactum liceat, vt contra modis legitimis ad consummandas nuptias adigi queat. Ab vtroque ipsarum dissidiorum seminibus, frustra tentata reconciliatione, quum mutui adiumenti communisque felicitatis propositum consequi iam partes non possint, sponsalia iurata non minus rectè, quam iniurata, iudex rescindet: id quod ab aequitate alienum non esse, ipse Innocentius III. Pontifex M. censet in cap. 2. X. de sponsal. Praeterea, inquit, *hi, qui de matrimonio contrahendo pure et sine omni conditione fidem dederunt, commendandi sunt et modis omnibus inducendi, vt praestitam fidem obseruent, si autem se ad inimicem admittere noluerint, ne forte deterius in se contingat, vt talem scilicet ducat, quam odio habet, videtur, quod hoc possit in patientia tolerari.* Quod denique Ulpianus L. 35. D. de reg. iur. monet, nihil tam naturale esse, quam eo genere quidquam dissolui, quo colligatum est, et nudi consensus obligationem dissensu seu consensu contrario tolli, ad sponsalia eaque iurata num conferri possit, ambiguum videtur, in primis si doctrinam Pontificiam amplectamur, iurique iurando votum inesse, nobis persuaderi patiamur. Sed his Pontificiorum nugis haud quaquam assentiri nostrae ecclesiae doctores, iam obseruauit Stryckius in laudat. diss. de dissol. sponsalior. §. 30. Iuriurando autem sponsalibus ad-

D 3

iecto,

7) I. I., Lib. II. tit. 10. def. 170.

iecto, ne humani arbitrii fiant periuria, contraheniri a desponsatis non facile potest, nisi quid, fini nuptiarum salutique coniugali repugnans, causam repudio faciat, suadeatque contraria.

§. XI.

Iuste profecto atque ipsa ratione suffragante Theodosius et Valentinianus Impp. in *l. 5. C. de Legib. et Constitut.* nullum pactum, monent, nullum contractum inter eos videri validum, qui contrahunt, lege contrahere prohibente: nec iureiurando conventionis huiusmodi vitium abstergi posse, supra demonstrauius. Iam qui ipso iure tutus est, cum nullo iuris remedio egeat: Boehmerus in *diff. de restitut. in integrum contra sponsalia minor.* quae inserta est eius exercitationibus ad *Pandectas §. 4.* recte asserit, speciem fere deficere, qua maiorennibus sponsalia ineuntibus restitutione opus sit, siquidem aut consensu deficiente nulla sint ipso iure, nec adeo rescindi debeat, quae nunquam extitit, obligatio, aut culpa interueniente restitutio denegetur¹⁾. Sed Pontifices, quo magis suam episcoporumque iurisdictionem dilatarent, omni iureiurando etiam inualidis negotiis adiecto, suscipi obligationem erga Deum, inducentes, tali asseuerationi finxerunt vinculum stricto iure inesse, adeoque prius impetrandam relaxationem, quam res ad pristinum statum reduceretur. Relaxare autem iusiurandum ex Pontificiorum quidem sententia nihil est aliud, quam obligationem iuratae promissionis nullam declarare, vel propter ipsius obligationis nullitatem, vel ob iurisiurandi praestiti vitia²⁾. Merito tamen Euangelici doctores recentiorum in

1) *L. 37. D. ex quib. caus. maior.*

2) *Exempla suppeditant cap. 2. et 13. X. de iurei.*

in primis temporum, ab hac sententia diuortium facientes, defendunt, de iurisiurandi effectu cognoscendum quidem esse ac pronunciandum a quocunque iudice, haud excluso ciuili, nec eo nomine principem in regula adeundum, relaxationem vero, vt figmentum Pontificium, inutilem ac reiiciendam propterea, quod, qui iusiurandum vi destitutum non feruat, periurium non committit, qui validum transgreditur, ab homine frustra absoluitur; caeterum iurandi temeritatem poena coercendam. Atque haec omnia quidem quam conueniant principis religionis euangelicae ab erroribus ac superstitione Pontificiorum purgatae, non attinet multis declarare. Sed eadem philosophia vt coeperunt non vniuersales solum, sed etiam particulares Imperii Germanici leges. Vt enim illos commemoremus, Recessu Imp. Nouiss. §. 164. hoc modo constitutum reperimus: *Auch im übrigen dasjenige, was die Stände wegen der Nunciorum Absolutionen a iuramentis, und das dergleichen Relaxationen in den Gerichten, sie geschehen denn von dem ordentlichen Richter, ad effectum agendi nicht zu attendiren seyn sollen, hierbey erinnert, beobachten.* In Saxonia autem nostra Electorali quid obtineat, per occasionem quaestionis super iurisiurandi relaxatione motae manifestauit Legislator Potentissimus laudata Constit. 36. Part. II. qua praecipitur, an et quomodo iusiurandum relaxari debeat, ab Ictorum collegiis cognoscendum esse ac definiendum; ipsam autem ab obligandi vinculo liberationem impetrandam a principis indulgentia. Neque nos vlli dubitamus, eandem eximendi seu dispensandi facultatem, vt caeteras iurisdictionis partes, a principe concedi liberrime posse inferiori iudici, quum ea neuiquam ex iure episcopali, ab ecclesia in principem collato, sed, siquidem relaxatione opus esse sumatur, ex iuris dicundi potestate, ad instar restitutionis, proficiscatur.

Ex his omnibus, quae sunt a nobis disputata, nemo non videt, inutiliter fere ad effectum obligationis conventionibus cuiuslibet generis, ideoque et sponsalibus, iurisiurandi religionum applicari. Nam, quae maior inde obligatio arcessitur, interna magis dici meretur, iudicii que humani limites transcendit. Certe, si pactum validum violatur, idemque iuratum, eius violationis effectus in foro externo alius non est, quam ut in periurium poena animadvertatur arbitraria, ut volunt, nec magis ad consummandas nuptias obrorto quasi collo rapi sponsus aut sponsa possit, quam si iuratum non fuisset, ad praestandum vero id, quod alterius interest, alterum fidem non fefellisse, aequali utrinque iure is, qui fefellit, obstringatur; nisi quod, eum, qui sponsalia iurato contraxit, absisse ad matrimonium consummandum obligari, nec per eius, quod interest, praestationem liberari, doctores tument. Itaque parti laesae, si priuatam satisfactionem, quam vocant, respicias, ex iureiurando ab altera parte praestito utilitatis securitatisque oppido parum descendet, consultiusque videatur, alterius fidei, vel iniuratae, se committere, quam et iurisiurandi, et, quod longe peius est, periurii frequentiam praeter omnem necessitatem augere, aut sibi persuadere, qui nudam et iniuram conventionem recusat adimplere, iuratum certius servaturum. Atque haec pro instituti ratione sufficere putamus: specialiora enim singula exponere, nec temporis angustia, nec libelli tenuitas permittit, praefertim, cum principia tantum, ex quibus sine haesitatione diiudicare caetera queant, animus nobis fuerit, proponere; quae an firma satis reperiantur, aequo lectorum iudicio, modestia postulat, ut submittamus.

COROLLARIA

I.

Stupratae dos debetur, et si nulli nubat.

II.

*Usum non praestat distinctio inter concubina-
tum perpetuum et temporarium.*

III.

*Etiam sola vel effractione vel ascensione fur-
tum fit qualificatum.*

IV.

*Maritus quem alienavit fundum dotalem reuo-
care nequit.*

E

V.

V.

*Socius delicti, qui pactum cum eius auctore in-
iit, ea propter poena delicti ordinaria haud
afficiendus.*

VI.

*Pacta dotalia secundum conventionis non ulti-
mae voluntatis leges diiudicanda.*



Leipzig, Diss., 1776 H-z

ULB Halle

007 411 979

3




vonp

TA-OC







C. 22. num. 41.

~~1776/40~~ =

14

DE IVRISIVRANDI
SPONSALIBVS ADIECTI
EFFICACIA

P. 386

DISSERTATIO INAUGVRALIS

QVAM
CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM COLLEGII
PRO

SVMNIS IN IVRIS SCIENTIA HONORIBVS
IMPETRANDIS

PRID. CALEND. MART. A. R. S. CIOICCLXXVI
DEFENDET

IACOBVS FRIDERICVS KEESIVS
ART. MAG. ET ADVOC. IMMATR.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

